



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmansdorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatæ Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

In Festo SS. Simonis & Judæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](#)

OCTOBER.
IN FESTO SANCTORUM
SIMONIS ET JUDÆ.

CONCIO PRIMA.

Hac mando vobis, ut diligatis invicem. Joan. 15. Textus.

Charitas ad invicem, semen est benedicti-
onum. Thema.

Charitas flammæa dicitur, Academicus lemmaticè in Exordium.
scripsit causalem: *Hac mediâ producitur aurum.* Per
flammeos, & ignitos solis radios, profundos terræ
meatus penetrantes aurum producitur: sic charitas
ad fratrem, aureum causat meritum, regale præmium, copio-
sam retributionem. Audiamus Scripturam: *Charitas operit* Textus Sacre
multitudinem peccatorum. concionatur S. Petrus ep. 1. cap. 4. & Scripturae.
S. Joan. ep. 1. cap. 2. *Qui diligit fratrem, in lumine manet;* in
lumine, inquam, gratiæ. Et iterum cap. 4. *Si diligamus nos in-*
vicem, Deus in nobis manet, & charitas in nobis perfecta est.
Ipsemet Christus inquit Matthæi 18. *Si duo vel tres consense-*
rint super terram, de omni re, quam petierint, fiet illis à Patre
meo. Quàm mellifluè scribunt desuper Patres: O quàm fe- ss. Patres.
lix, & beata est anima, quæ charitatem in se habere meretur!
Charitas sicuti potua est, esuriensi cibus, in amaritudine posi-
tū dulcedo, in tristitia constitutus, vera, & grata consolatio. S. Augustin.
Quantibus portus, errantium via, peregrinantibus patria. scribit
(Oo) 2 S. Augu-

S. Augustinus Serm. 42. de tempore: & iterum de laudibus charitatis: *Charitas est, sine qua tibi nihil prodest quodcumque habueris, quam se solam habes, tibi sufficit, habere autem omnia sacramenta, & malus esse potes, habere autem charitatem, malus esse non potes.* Unde inquit tractatu 17. in Joannem: *qui Deum non vides, diligendo proximum promereris quem deas, diligendo proximum purgas oculum ad videndum Deum.*

S. Paschasius. Ex charitate celstido meritorum, hinc Reges sumus, hinc Sacerdotes, hinc triumphatores, hinc filii Dei sumus. docet S. Paschasius lib. 4. in Matth. Tunc ad alta charitas mirabiliter surgit,

S. Gregorius. cum ad ima proximorum se misericorditer demittit, & que beneignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. scribit S. Gregorius in Pastorali. Tale est bonum pacis, quod ex fraternâ oritur charitate, ut in rebus creatis, nihil gratiosius soleat

S. Laurentius Justinianus. audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil utilius possideri. ita habet S. Laurentius Justinianus in ligno vitæ cap. 15. Hinc S. Chrysostomus tom. 5. hom. 1. contra Amoneos intitulat charitatem: caput omnium bonorum: *Certè sciat charitatem caput esse omnium bonorum, & radicem, & fontem, & parentem;* & hom. 33. ep. 1. ad Corinth. *Charitas veluti frugi quadam apicula, bona omnia undique collecta in amantis animam comportat.* Invocatâ Spiritûs S. gratiâ desuper Conceptus dabo.

CONCEPTUS I.

Confirmatio. Postquam primus homo, Adam, peccasset, & totum genus hominum in extremas miserias conjecisset, omnino clementissime annuit unigenitus Dei Filius humanam naturam assumere, & perditum hominem redimere, multis tamen annorum milibus distulit incarnari, tandem post 4000. millia, & ultra annos clausos, sub Imperio Augusti Octaviani, Homo in terram natus est: & opus redemptionis incipit, ut Paulus ad Galatas cap. 4. describit: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum,*

sum, nactum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Cur recte incarnatus, ad omnium salutem Christus nascitur sub Augusto Octaviano? quo inodo tunc recte contigit plenitudo temporis? temporis felicissimi, desideratissimi, & à Patribus in limbo exoptatissimi? considerare libeat: sub Cœfare Augusto inter mortales floruisse auream charitatem, cum summa pace, & concordia: ita S. Lucas cap. 2. *In illo tempore exiit edictum à Casare Augusto, ut describeretur universus orbis, hac descriptio prima facta est à praeside Syria Cyrino. Et ibant omnes, ut profiterentur singulati in suam civitatem.* Lucæ cap. 2. Charitas ergo inter mortales, traxit de cœlo multis annorum millibus desideratum Salvatorem, charitas inter mortales fructificavit gratiæ plenitudinem, ut dum summa floreret charitas, pax, & concordia, summum tribueret mundo solatium, universorum Salvatorem. Ita Bernardus: *Venit plenitudo temporum, & abundantia temporalium, nam ut cetera soleam, ipsa quoque pax temporalis in illo tempore tanta fuit, ut ad hominis unius edictum, describeretur universus orbis.*

CONCEPTUS II.

Jacob ad mortem decumbens vocat filios suos hac intentiōne, vel paternam illis benedictionem ob bona merita impetriri, vel ob commissa crimina eos castigare. Veniens ad filium suum primogenitum Ruben, ad eum inquit: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, effusus es ut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Genel. 49. Jacob malum imprecatur Ruben, *non crescas.* Malum hoc, ac imprecationem Jacobi, tollit de Tribū Ruben, Moyses Deuter. 33. *Vivat Ruben, & non moriatur.* Jacob Ruben maledicit, Moyses benedit, Jacob Ruben condemnat, *non crescat:* Moyses absolvit: *Vivat Ruben.* Quæ merita inveniuntur in Ruben, ex quibus maledictio patris tollitur, à malo absolvitur? Meritum Ruben est charitas erga fratrem, patet Genel. 37. Concludunt fratres Josephum occidere: *Venite occidamus eum, & mittamus in cisternam.*

(Oo) 3

nata

nam veterem, dicamusque fera pessima devoravit eum, & invic
apparebit, quid illi profint somnia sua: Audiens autem hac Ru
ben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat, non
interficiamus animam ejus, nec effundamus sanguinem ejus. Hoc
charitas erga fratrem Joseph, Patris maledictionem in Ruben la
tam abstulit, a peccato absolvit, gratiâ donavit. Est hic Concep
tus Didonis in Catena Græca: Non poterat Jacob non maledi
cere intemperanti filio, ad posteros deterrendos, debuit autem
illum criminis culpa liberare Moyses, quia pepercit Joseph.

CONCEPTUS III.

Stellam, quam viderant Magi in Oriente speciatim, stellam ejus, hoc est, stellam Dei, Magi vocant: *Vidimus stellam ejus.* Matth. cap. 2. Desuper S. Maximus hom. 4. de Epiph. Benè ejus, quia quamvis omnes ab eodem creatæ stelle ipsius sint, hactamen propriè Christi erat. Sed cur hæc stella, magis Dei stella, quam reliquæ? Respondeat Sylveira tom. 5. lib. 2. cap. 4. quæst. 12. num. 45. folio 251. *Stella, quæ cum esset in cœlo, ac loco sublimi, hu
milibus non renuit hominibus in terrâ tegentibus, famulari, ha
esse non potest, nisi stella Dei, ex Deique halitu venire.* Char
itatis officium præstítit hæc stella, famulata est, & iter demon
stravit peregrinis, charitas eam fecit præ cæteris specialiter stel
lam Dei: Charitativi præ cæteris Dei sunt, quibus, inquam, Deus
suas gratias, & favores mirum elargitur.

CONCEPTUS IV.

Saul Rex legem tulerat, quâ morti damnabat maleficas, &
fagas: *Saul abstulit magos & ariolos de terrâ,* i. Regum cap. 28.
Denunciant Regi famulantes: *Est mulier, Pythonem habens in
Endor.* Utique maleficam hanc captivari & ligari, dein, secund
um legem latam cremari imperat? non legitur sententiali edi
cto mulierem hanc Pythonem habentem judicâsse; quid pecca
tricem

tricem à lege latâ exemit? quid à supplicio ream intactam conservavit? conservavit charitas: Mulier hæc dum Regem in persona super delictum ejus inquisitum advenire intelligeret, pro eo, ut fuderet, se subduceret, totam se in charitatis obsequia impendit; Regem, & comitatum opiparo excipit convivio; audiamus Scripturam: *Mulier illa habuit vitulum pascualem in domo, & festinavit, & occidit illum, tulitque farinam, miscuit eam, & coxit azima, & posuit ante Saul, & ante servos ejus.* Ecce charitatis armis, obviavit discriminis, sicut se dignam fecit, quæ speciali privilegio eriperetur morti, inquirentes eam ad mortis sententiam cibavit, lassis ab itinere vires refudit; ergo de charitatis merito texit crimina, & urgentia mortis ignorat mandata; charitas dum alieno commodo incumbit sedula, sibi vel maxime invenitur proficia. *Non memini malâ morte mortuum, qui liberter exercuit opera charitatis.*

CONCEPTUS V.

Jacob profiscens in Mesopotamiam conspexit in visu scalam summitatem cœlum tangentem, cui Deus innitebatur, & Angeli per eam scalam ascendebant, & descendebant: *Vidisque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentibus, & descendebant per eam, & Dominum innixum scalæ, dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac, terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo.* Genef. 28. Quid hæc scala indicat? dein quæ merita Jacobi de tantâ repromissione? S. Chrysostomus hom. 6. in ep. ad Titum, per hanc scalam à Jacob visam, intignem ejus erga fratrem Esau charitatem intelligit: *Hæc scala, que in cœlum usque porrigitur:* Ex charitate cessit Jacob fratri suo Esau, ex charitate renunciavit domui paternæ, ac deliciis domesticis, tantum bene habeat Esau, ut hic dominetur, Jacob servum agit; quiescat Esau, Jacob vigilat, deliciis fruatur, Jacob spontaneam subiicit paupertatem; o verè insignis charitas! hæc charitas per scalam à terra sursum usque in cœlum pertingentem repræsentatur;

tatur; ad indicandum; uti scala à terrâ usque cœlum pertingebat, ita charitas fraterna, terrena unit cœlestibus. Deus innitetur scalæ, nempè charitativis Deus miro modo addictus est, iisque suâ gratiâ innititur: Per scalam ascendebant, & descendebant. Angeli, charitatiyi, inquam, continuò ac indeinxenter fruuntur cœlestium spirituum subsidio, & auxilio, quām velocissime deferunt coram Deo, opera charitatis, ac largissima pro iis benedictionum referunt prœmia, spiritus cœlestes. Audiamus S. Chrysostomum: *Charitas est proprium Christianæ religionis insigne, per quam & scipuli noscuntur, hæc nostrorum criminum medicina est, ha animæ nostræ fôrdes mundat, hæc scala, qua in cœlum usque pro rigitur, hæc denique fons omnium benedictionum.* Expressit hoc S. Paulus Apostolus 1. ad Corinth. 13.

CONCEPTUS VI.

De Charitate inquit S. Paulus: *Charitas non querit quæ sua sunt.* Quomodo non querit quæ sua sunt? explico me: quæ quis actu in manu suâ teneret, habet & possidet, illa non querit, sed querit quis ea, quæ non habet, quæ non possidet, charitas ergo non querit quæ sua sunt, quasi omnia actu possideat, actu sit domina, omnium Dei donorum, gratiarum, & benedictionum: est hæc subtilis interpretatio Hugonis Cardinalis in citatam Pauli epistolam: *Quamobrem non querit, quia ei nihil deficit, non querit, quod habet charitas.* Quisquis igitur charitatis thesaurum possidet, omnia hujus mundi bona habet, omnes cœli thesauros manibus tenet, nullius rei necessitate premi potest. *Quia nihil ei deficit, non queritur, quod habetur.* Noverat hoc peritissimus ille mercator Matth. cap. 13.

CONCEPTUS VII.

S. Evangelista dicit: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, querenti bonas margaritas, inventâ autem una pretiosa margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit*

cam. Plures margaritas hic mercator abiit emere, & quærere? cur ergo unicā margaritā inventā contentus, jam plures com- parare cessat? & intermittit? an fors in-hac unā margaritā, omnes reliquas unā simul reperit? Ita respondet S. Augustinus quæst. 13. in Matth. Per hanc pretiosam margaritam, charitatem proximi intelligens, quæ immensi pretii est gemma, ut pretio, & valore suo, omnes Christianarum virtutum gemmas, in immensum ex- superet, nec est, quod post inventam illam, queratur alia, illa namque inventa, reperitur quidquid ab aliquo quereri, aut neces- se cuipiam esse possit, quippè hæc, cuncta in se bona complecti- tur, quæ quis ad corporis, & animæ locupletationem valet desi- derare, donorum & gratiarum Dei, in se complementum con- tinens. Audiamus verba S. Augustini: *Præcepta justitia quærens, quibus servatis cum hominibus rectè conversatur, invenit dilectionem proximi, in quo uno dicit Apostolus omnia contineri.* Patet ulterius in Christi testamento.

CONCEPTUS VIII.

Christus Servator noster, antequam iniret mortis agonem, in cenā ultimā fecit testamentum, ac suæ voluntatis dispositio- nem; utique illud, quod Discipulis, & Christianis omnibus the- saurorum Dominus legavit, ac ultimum reliquit, est pretiosissi- morum pretiosissimum? non enim exiguum quid, sed medullam rei bonæ, ac pretiosæ amantissimus Dominus reliquerit, censem- dum est. Quid ergo illud pretiosissimum, quod Christus, testa- menti loco, ex immensâ thesaurorum suorum copiâ reliquit, ac donavit? Joannes hoc nominat cap. 13. *Hac mando vobis, ut di- ligatis invicem.* Charitas est illud pretiosissimum ac inestima- bile in thesauro divino; charitas, inquit S. Ambrosius præfat. 2. ad missam: à nomine *charius*, derivata est, *quia illa charius in- veniri non potest*; unde de ultimâ voluntate, & testamento Chri- sti, charitate, & dilectione proximi imperata, concludit Oleaster in cap. 23. Genes. *Cum quod relinqueret eis, melius non habe- ret, reliquit mutuam charitatem.* Sufficit, inquam, ad omnem prosperitatem & salutem in via, ad gloriam, & coronam in pa- triâ.

Pars II.

(Pp)

tria.

triâ. Testem pro coronide produco S. Stephanum: Actorum
cap. 7. exclamantem:

CONCEPTUS IX.

*Video calos apertos, & JESUM stantem à dextris virtutis
DEI. Cœlum reseratur, Stephanum civem suum cum triumpho
recepturum; stat JESUS, Stephano omnimodè patrocinium latu-
rus, tanti favoris meritum S. Fulgentius Serm. de S. Stephano,
charitatem allegat: Per charitatem sacerdientibus Iudaï non cœ-
fit, per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit, per cha-
ritatem arguebat errantes, ut corrigerentur, per charitatem
orabat pro lapidantibus, ne punirentur, charitatis virtute subni-
xus vicit Paulum crudeliter sacerdientem, & quem habebat in ter-
râ persecutorem, in cœlo meruit habere consortem.*

Epilogus.

*Induite vos ergo sicut electi Dei, Sancti & dilecti, viscera
misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientem,
supportantes invicem, & donantes vobis met ipsis &c. super omnia
autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis,
& pax Christi exultet in cordibus vestris. hortor
cum S. Paulo ad Coloss. 3.*

Amen.



IN FESTO

IN FESTO SANCTORUM
SIMONIS ET JUDÆ.

CONCIO SECUNDA.

Hec mando vobis, ut diligatis invicem. Joan. 15. *Textus.*
Justus amor inter conjuges decet, zeloty- *Thema.*
pus plurimum nocet.

AMorem, & conjugalem charitatem depinxerunt Ve- *Exordium.*
 teres in forma infantis, subscribendo: *Crescat, & au-*
geatur. Indicare volebant, sicut infans de anno in
 annum crescit, & proficit, sic inter conjuges, amor,
 & charitas conjugalis, semper crescat, & proficiat: hortante Apo-
 stolo ad Ephesios cap. 5. *Unusquisque uxorem suam, sicut seipsum*
diligat: & iterum: *Viri diligite uxores vestras.* Hic amor con-
 jugalis Deo est gratus, & acceptus, teste Eccles. cap. 25. *In tribus*
benepacitum est Spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, &
hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, & vir &
mulier benè sibi consentientes. Alt cavendum est, ne hæc cha-
 ritas, & amor conjugalis excrescat in zelotypiam, quantum enim
 Deo placet amor justus conjugum, tantum displicet zelotypia:
 quantum amor justus prodest, tantum nocet zelotypia. Simi-
 lis dici potest zelotypus campanæ, quæ ad omnem motum dat
 sonum, ita zelotypus, ad levissimam occasionem turbari, com-
 moveri, in querelas effundi solet, ut de his dictum censeas illud
 Levitici cap. 26. *Dabo pavorem in cordibus eorum, & terrebit*
eos sonitus folii valantis, & ita fugient quasi gladium. Zelotypus in omnes aliorum gressus assiduo intentus, totidem suspicio-
 num umbras producit, quoties è loco in locum motum advertit,

(Pp.) 2

semper

300 IN FESTO SANCTORUM SIMONIS ET JUDÆ

semper anxius, turbatus, timore, tremore, ac suspicione inquietam, ac miseram dicit vitam, ut meritò de hoc applicare licet verba Sapientis cap. 17. *Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos, avium sonitus suavis, aut ludentium animalium cursus, invisus, deficiente faciebat illos præ timore.* Patres audiamus: *Sapiens vir debet judicio amare conjugem, non affectu nil fædus, quam amare uxorem quasi adulteram; in alieno uxore omnis amor turpis est, in sua, nimius.* S. Hieronymus apud Marchantium in candelabro mystico, tractatu 8. lext. 9. prop. 2. Nervosè scribit S. Chrysostomus hom. 38. in Genesin: *Qui zelotypiā laborant, & bonum pacis amittunt, turbas, & flatus sibi mutuo excoquunt, nullam voluptatem habere possunt, interno bello omnia confundente, multamque ejus amaritudinem invehente: Zelotypia, inquit Naxera Comment. in Judices cap. 8. mixtum semper adfert dolore gaudium, & vestitum auxiliante oblectamentum.* Implorata S. Spiritus gratiâ desuper Conceptus pandam.

CONCEPTUS I.

Confirmatio. Conjugatis prædictis S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 7. *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi.* Quæ verba vel maxime de zelotypis verificantur, ubi notandum, Apostolum in specie tribulationem non determinare, qualem, inquam, carnis tribulationem habituri sint, an miseriā ac paupertatem, rixas & discordias, an corporis infirmitates, curas animi &c. genericē loquitur: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi,* id est, omnis generis; & paupertatem, & infamiam, rixas & flagra, curas, & infirmitates. Indicat hoc Eccles. cap. 26. *Dolor & luctus est mulier zelotypa.*

CONCEPTUS II.

Num. cap. 5. Deus varia dona & munera dictavit, quibus post lapsum, & peccatum Deum reconciliare valeant, pro zelotypis

typis hoc munus præscribitur: *Si spiritus zelotypie concitaverit virum contra uxorem suam, adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partem sati farina hordeacea.* Cur farinam hordeaceam offerat? Respondeo; ex farina fit panis, talis nempè, qualis est farina, est farina alba, & delicata, albus, delicatus fit inde panis; est farina nigra, & sordibus mixta, niger & crassus, insipidusque inde panis pnisit. Panis etiam multiplex est, est panis gaudii, & solatii, estque panis doloris. De pane gaudii & solatii loquitur David Psalm 104. *Panem de cœlo prestatisti eis, omne delectamentum in se habentem.* Loquitur hic idem de pane doloris Psal. 126. *Manducatis panem doloris.* Et Psalm 79. *Cibibus nos pane lachrymarum.* Non dubito, quin panis gaudii sit ex farina filiginis, ac tritici mundissimi, inde enim fit panis albus, ac delicatus; panis vero doloris, miseriæ, ac lachrymarum fit ex farinâ hordeacea, sic legimus, quod in luctu & pœnitentiâ viventes pane hordeaceo famem sedarint, & Lyranus hic determinatè panem doloris, vocat panem hordeaceum. Hordeaceam ergo farinam Deus iustit offerre zelotypos, ad indicandum: zelotypi comedant panem doloris, luctus, & miseriæ, & paupertas ac infamia, curæ ac morbi, rixæ, ac flagra vexabunt eos. Canticorum cap. 8. patet ulterius.

CONCEPTUS III.

Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus emulatio, inquit S. Spiritus Cantorum cap. 8. *Emulatorem, zelotypum, morti comparat, & inferno: cur hoc?* Mortem describit Aristoteles, quod sit omnium terribilium terribilissimum, mors est dominus luctus, doloris, & miseriæ, mors est vita privatio: sic zelotypia terribilis est, ac privatio violenta, privat opibus, privat honoribus, privat vitâ; Inferno comparatur: quid est infernus? infernus est locus tormentorum, infernus est locus extrema paupertatis, continua anxietatis, æternæ desperationis; ita zelotypia, res est plena tormentis ac cruciatibus animæ, & corporis, corpus affligit curis, & anxietatibus, animam pusillanimitate, & desperatione.

(Pp) 3

CON-

CONCEPTUS IV.

Isaias cap. 59. se Deum vidisse, inquit, pallio coniectum, involutum, quam vestem ac pallium, pallium zeli appellat: *Opere est quasi pallio zeli.* Pallium hoc Benedictus fidelis Fer. 2. Dom. 4. Quadrag. conf. 2. n. 8. afferit fuisse cœruleum, seu coloris aquæ marinæ. Cur quoq; vestis zelotypi pallium vocatur? & cur coloris est cœrulei? seu similis coloris aquæ marinæ? pallium nouum est, quod totum corpus tegat, item, aquam marinam, undique falsam, amaram, insipidam esse. Pallium ergo, & quidem cœruleum, seu coloris aquæ marinæ dicitur vestis zelotypi, ad indicandum: zelotypiam, animam zelotypi totum quantum amaritudine involvere, omnia ei insipida, falsa, & adversa reddere,

CONCEPTUS V.

Demandat David Principi exercitus sui Joab: *Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium, & derelinquere eum, ut percussus intereat.* 2. Regum cap. 11. Cur innocentem interfici, & occidi Deus permittit, Uriæ offensus est Deus? non est offensus, imo gratiis est Uriæ addictus: *In hoc, inquit Lyranus in citatum caput, (nempè quod Deus Uriam occidi ordinet) pium erga Uriam affectum demonstrat.* Quomodo pium? si occidi innocentem ordinat? pius affectus in hoc appareret: Reveritus fuisset Urias, gravidam uxorem conspiciens, utique in zelotypiam, & æmulationem incidisset, hâc obrutus, non nisi mentis, & animi inquietudines, & amaritudines, angustias, tristitias infobiles passus fuisset, hinc inquit Lyranus: *Voluit eum Dominus potius mori, quam zelotypiam videre, in hoc pium erga Uriam affectum demonstrans.* Quasi zelotypia & æmulatio, amarior, truculentior, horribilior esset ipsa morte, plus hâc affligeret, & cruciaret.

CONCEPTUS VI.

Tiraquellus lege 16. connubii, zelotypiam, *Pestem detinendam* vocat: Rupertus Abbas, *Venenum intitulat;* cur Pestis, ac ven-

veneno zelotypia comparatur? Pestis, & venenum in corpore humano semel radicatum, vix amplius ex integro potest expelli, manent reliquiae, & malignitates, languores, & debilitates causantes: Ita se res habet cum zelotypia, ubi haec in corde conjugum radices egerit, vix ex integro turbatio illi animi, mentis tristitia, suspicio, temerarium judicium, extirpari potest, manet aliquis rancor, & exinde repentina ira, ac turbatio. Quod Salomon Prov. 6. insinuat: *Zelus, & furor viri non parcer*, zelum cum furore conjungit Salomon, ex quo furore tragica sæpe facta contigere. Exempla talia benevolus Lector inveniet in R.P. Georgio Stengelio lib. 2. de divinis judiciis cap. 36. num. 5. Item lib. 4. cap. 35. num. 8. De Ludovico Severo, qui Mariam conjugem, Ducis Thuringiae, Hassiae, atque Brabantiae filiam, ob litteras suscepit habitas, crudelissime occidit. Item de Juliano hospite, qui zelotypus Patrem & Matrem interemit &c.

Hortor ergo conjuges à zelotypia, ut peste & veneno sibi carent, cavebunt autem, si verba Tertulliani, & S. Hieronymi observaverint: *Nocuit multis aspici, nocuit salutari, nocuit nominare suspectum*; inquit Tertullianus. Et S. Hieronymus ep. 2. ad Nepotem habet: *Crebra manuscula, & sudariola, fasciolas, & dulces litteras, sanctus amor non habet.*
Amen.



IN FESTO

**IN FESTO SANCTORUM
SIMONIS ET JUDÆ.**

CONCIO TERTIA.

Textus. Si odit vos mundus, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Joan. 15.

Thema.

Odium proximi gravissimum est peccatum,
inducens ad interitum.

Exordium.

Quod de Circe fabulantur Poëtæ , nemp̄ homines
mente & ratione privans, in belluas, in faxa, & la-
pides convertisse; hoc revera efficit odium, odium,
in cuius corde radices fixerit, mente, & ratione pri-
vat, in pecus degenerare facit, saxo & lapide durio-
rem, & obstinatiorem efficit. Unde Veteres odium per rubum
repræsentarunt, ut docet Pierius lib. 15. cap. 4. & 5. hâc de causa:
ut rubus potius frangitur, quam flectatur; ita odio infascinatus
homo, obstinatus, excœcatus in passionibus hæsitat, ac dum
permanet, ruinam præ salute eligit, mavult perire, quam feli-
similis clibano accenso, à tetro incendii fumo obcœcatus, non vi-
det eas flamas contra se armari, dum odio inservit. Exprimit
hoc claris verbis S. Joannes ep. 1. cap. 11. *Qui odit fratrem, in*
tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebrae
obcœcaverunt oculos ejus. Odium, inquit doctissimus
Naxera Comment. in Judices cap. 9. § 86. *teterrimus calor in*
humana corda indurans, mentem fædis vaporibus exhalatū in
tenebrans. Consentient Patres: *Quemadmodum omnium vita*
tum excellentissima est charitas, ita universorum vitium
gravissimum est, odisse proximum. scribit S. Ephrem in interro-

SS. PATRICES.

Ephrem.

gationibus tom. 1. Qui scit se vel unum hominem odio habere, nescio si ad altare Dei possit securus accedere, cum praecepit S. Augustin. Joannes Evangelista terribiliter clamet, & dicat: Qui fratrem suum odit, homicida est. docet S. Augustinus Serm. 1. de temp. Qui odit, non alium prius, quam seipsum occidit, qui exultat in adversis proximi, & affligitur in prosperis ejus, alieno proximum S. Ambrosius, se petit gladio. loquitur S. Ambrosius praec. 2. ad Missam. Viam animæ qualibet culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor, occidit. Menti namque, ut gladius infigitur, ut mu. S. Gregorius. crone ipsa viscerum occulta perfodiuntur. tradit S. Gregorius lib. 10. moralium. Non sic nubes calum, non diem, caligo solem, S. Chrysolog. quomodo mentes cœcat, & obtenebrat odium. loquitur S. Petrus Chrysologus Serm. 41. Plerumque veritas supprimi odio solet. ait S. Greg. Nazianz. correctione 1. Consonat Constantinus Magnus apud Eusebium lib. 3. de odio, quo Judæi deflagrabant in Christianos: Cœco animarum errore merito tenentur. Constantinus Magnus. Implorata S. Spiritus gratia desuper Conceptus pandam.

CONCEPTUS I.

Plutarchus de Iside ait: Isidis Sacerdotes mare summo odio *Confirmatio.* aversatos fuisse, in contestationem odii sui erga mare, salem sibi interdicebant: Mare Sacerdotes detestantur, salemque Typhonis appellant *sumam*, & ex interdictis in mensa salem nefas est apponere. Plutarchi verba sunt. Cur mare odiendo, sibi salem interdicunt? Sal sapientia ac prudentia est symbolum, odio repleti, salem sibi interdicunt, quasi non possent ratione, prudentia, & sapientia uti, qui odiunt. Ita subscribit Naxera Comment. in lib. 1. Judic. cap. 5. §. 55. Sal sapientia symbolum sibi vetabant, & odium non posse uti prudentia ostendebant. Exemplum habemus in Philistæis.

CONCEPTUS II.

Gravissima cæde Israelitarum, Philistæi & Arcam Domini capiunt: Ceciderunt de Israel 3000. peditum, & Arca Dei capta est. Pars II. (Q q) 1. Regum

1. Regum 4. Arca Domini in captivitate retenta, fatalem Philistæis infixit poenam, pestilentia, inquam, malum, ex quo mala multa millia interierunt; illis autem circumducentibus eam, (Arcam nempè) fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magna nimis. 1. Reg. cap. 5. Ad tantam cladem utique Arcam Israelitis remittent, nec per quadrantem amplius apud servabunt? hoc sapiens, ac prudens exegisset consilium, ait excatæ multo tempore arcam apud se retinent, poenam sibi ipsime continuant, malum prolongant; tot, ac tantos viros, quid adeò excœcavit, obtenebravit, quod Arcam non ocius remiserint? siveque se à malo horribili pestis liberaverint? excœcavit Philistæos in Hebræos irradicatum odium: exitiali furore oderant Judæos, hoc odio confusi, non sunt capaces consilii, Arcam restituendo, poenam inflictam à se amovere. Sic commentatur Mendoza in lib. 1. Regum cap. 4. *Arcam retainendam esse suadebant, & toleranda propria mala, ne immensa lucra, ex reditu Arce hofib[us] prævenirent.* Conformiter Abulensis quæst. 16. Non miserunt Arcam Hebreis, cum reciperen propter eam tot mala, quia si apud Hebræos esset, quanto potentior esset, tanto magis adjuvaret Hebræos.

CONCEPTUS III.

Herodes Rex per regnum suum copiosissimum numerum parvulorum occidi imperat, Matth. 2. *Mittens occidit omnes parvulos, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimili, & infra, secundum tempus, quod exquiserat à magis.* Paulus Volzius numerat occisorum parvulorum, millies mille, & 44 milia. O cœcitas & amentia Regis! per tantam parvulorum cädem an non manifestò futuram Regni sui prosperitatem, ac incolumentatem tollit? quis in futurum, cum omnes parvuli occisi sunt, senibus decrepitis, agrum excolet? quis contra hostium injurias arma feret? & bellabit? certò, afferendo juventutem in interitum, & ruinam manifestam se, & Regnum exponit: quomodo enim vivet Rex in futurum, si non fuerint coloni, quomodo defendet patriam, si selectos non habuerit milites? certò fuisse in seipsum convertit arma, quandoquidem in subjectis amissis

angustis

angustiat regnum : quid in tantam amentiam deduxit Regem , quid omnis consilii sani privavit Herodem ? excœcavit Regentes ? excœcavit, obtenebravit, in amentiam deduxit odium contra unum infantem, Christum JESUM ; odio prosequitur Christum , unum vult interimere, & non videt se, suosque in successum crudeliter occidere ; sic delirat , insanit odium ; cœcutiens ruit, & seipsum præcipitat : audiatur in rabidum Herodis odium scribens Chrysologus Serm. 152. Sic agit minister mali , minister doli , iræ artifex , inventor sceleris , impietas auctor , pietatis prædo , ini- micus innocentiae , hostis naturæ , malus omnibus , suis pejor , pessi- mus fibi .

CONCEPTUS IV.

Saul Rex pessimè habebat: & agitabat eum spiritus nequam &c. Igitur quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul: Da- vid tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saul, & levius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus. 1. Regum cap. 16. Hunc suum medicum ac refocillatorem, uti- que ut pupillam oculi Saul quām cautissimè observaverit, & co- luerit? Excoecatus, & insaniens Rex Saul occidere medicum suum Davidem intendit: *Tenebatque Saul lanceam, & misit eam, pu- tans quod configere posset David cum pariete.* Videns David, quod Saul ei mortem minetur, fugit in deserta, in speluncis, an- tris ac cavernis montium habitans: & eò usque Saul insequitur Davidem, denuo excoecatus, & quasi fatuus periculosisima, cum manifestissimo propriæ vitæ periculo, præcipitia scandit, & ober- rat: *Perrexit ad investigandum David & viros ejus, etiam super abruptissimas petras, quæ solis obicibus perviae sunt.* 1. Regum 24. Quid Regem adeò infascinavit, ut majestatis suæ oblitus in præ- cipitiis oberret, personam suam augustam temerario vitæ pericu- lo exponat? quid eum adeò insanire fecit, ut & in medicum suum, & refocillatorem crudelis carnifex fœviat? *Quo pacto audes talia?* interrogat Saul Regem Basilius Seleuc. orat. 15. *quid in te ipsum hastam vocas, si Davidem sustuleris, quomodo demonem perse- queris,*

(Qq) 2

queris, quid eum mori cogis, qui tibi unicum salutis remedium superest? Respondet quæstioni doctissimus Lira hic: Ex desiderio occidendi eum, exponebat se, & suum exercitum, periculis multis, & magnis. Saul oderat David: Non rectis ergo oulis Saul afficiebat David à die illâ, & deinceps. I. Regum 18. Odium obtenebravit mentem, ut non adverterit Saul, occidendo Davidem, seipsum occidere, persequendo Davidem per prærupta faxa, seipsum præcipitio, & vitæ periculo exponere.

CONCEPTUS V.

Quid unus vir justus proposit alicui terræ, urbi & civitati, testatur S. Augustinus lib. de amicitia cap. 5. In rebus humanis nihil sanctius appetitur, nihil experitur dulcior, nihil fructuose tenetur justi amicitia, habet enim fructus vita presentis, & terrena. Et Psalmista canit Psalm. 144. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Tali viro justo, magno Dei amico Isaaco felicitantur Palæstini: Mansit &c. in Gerus. Genes. 26. Utique congratulabuntur sibi de tanti viri conubrio, discedere amplius non sinent, cogent in Palæstina constanter permanere, ut intuitu tam justi viri, magni Dei amici, terra eorum desuper benedicatur, omnibus incolis terra, ob Isaac amicitiam optimè eveniat; contrarium fecerunt Palæstini, Isaacum rogant, à finibus eorum abeat, discedat: Recede à nobis quid Palæstinos adeò dementat, ut virum justum, amicum Dei, à se recedere, & abire instent? dementavit odium, & invidia. Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde. DEUS optimus mirum in modum in Palæstina Isaac benedixit: Benedixitque ei Deus, & locupletatus est homo; & ibat proficisci, ac succrescens, donec Magnus vehementer effectus est; habuitque possessiones ovium, & armentorum, & familie plurimum. Ob hanc benedictionem oderant & invidebant Isaac: Ob hoc invidentes ei Palæstini, omnes putoeos, quos foderunt servi Patri eius Abraham, illo tempore obstruxerunt implentes humum,

TANDEM,

tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac, recede à nobis. O excccati Palæstini! ob hoc, quod adeò in terra vestra ditescat Isaac, ad ulterius apud vos manendum rogare debuissetis, certi ob talen virum justum, & vos adeò benedicendos, ditandos fore. Ita perorat S. Joannes Chrysostomus: *Oportebat eum, quem omnium Deus tantâ gratiâ prosequebatur, Dei exemplo magis favere ei serviendo, ut honore in illum collato, etiam ipsi divini sui favorem conciliarent.* Ait irradicatur odium, & invidia, ed prudentiam Palæstinorum non sinit pretendere; cœcum est odium, & invidia, *nihil cum ratione operatur*, inquit citatus Sanctus: odio, & invidia tabentes non vident cum abitu viri justi Isaac, & Dei benedictionem è terrâ Palæstinorum discedere, prospera quæque, quibus fructi sunt, ob amicitiam Isaac, deficienda fore, ac exulare.

CONCEPTUS VI.

Innocens puer Joseph fratribus suis narravit somnium passum: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum &c.* Aliud quoque visum somnium indicat: *Vidi per somnum, quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me; desuper Pater suus, quid sibi vult hoc somnum, quod vidisti, num ego & mater tua, & fratres tui adorabis te super terram?* Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum, invidiae, & odii somitem ministravit. Genes. cap. 37. Ex odio & livore Ismaelitis Josephum vendunt, tunicam vero pueri sanguine hœdi conspergunt, ac Patri transmittunt, credat bonus Pater, fera pessima devorarit Joseph: *Tulerunt autem tunicam eum, & in sanguinem hœdi, quem occiderunt, tinixerunt, mitentes qui ferrent ad Patrem, & dicerent: hanc invenimus: vide utrum tunica filii tui sit?* Si tunica Josephi sanguine hœdi tincta, palliare student fratres nequitiam suam, cur non etiam tunicam hinc inde in frusta lacerârunt, quasi fera truculenta sic

(Qq) 3

discer-

discerpſiſſet? læſiſſet corpus; vēſtem integrām, illāſam transmittunt, & persuadere conantur Patri, fera dilaceravit, discerpſit Iosephum, quaſi verō vēſte illāſa, tenerūm corporū Ioseph fera diſcerpſiſſet, læſiſſet corpus, & vēſti pepercifſet, quā hec ſtultitia, dementia, iſfania, impudentia, ac cœcitas fratrū Iofephī? unde ita iſfaniunt, ut non etiam vēſtem, quam ſanguine coniſerunt, ſciderint, dilaceraverint? adeo errant palpabiliter, quā odio pleni: *Oderant eum.* Genes. 37. Subſcribit S. Baſilius Magnus hom. de invidia: *Sic in Iosephum erant animati, ut quid facerent nescirent.* Odium turpiſſimè corrumpit mentem, exco-
cat rationem, ut a via veritatis, & iuſtitiae aberrantes æternū pereant, atque damnentur. Odium inflixit æternā maledi-
cionem in Cainum. Genes. 4. *Maledictus Cain.* Odio odibilem Deo reddidit Esau. *Esau odio habui.* ad Hebræos cap. 9. Odium cauſa fuit, cur Saul à Domino abjectus est temporaliter, & æter-
num. *Abjecit te Dominus.* 1. Regum 18.

Epilogū,

Hortor ergo verbiſ Levitici 19. *Non oderis fratrem in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.* Et Matthæi cap. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recorda-
tus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te,
relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade
prius reconciliari fratri tuo.*

Amen.



NOVEM-